Reu. Pater. In hoc articulo, an Collegia Societatis sint Mendicantia, videntur mihi distinguenda duo tempora, vnum est ante bullam Pij V. de qua infra, alterum post dictam bullam.

Ante dictam bullam erat quæstio anceps inter Doctores, ex eo quod Collegia habent redditus annuos in eorum fundatione, quod videtur repugnare mendicitati ex iuribus exaduerso allegatis, receptior tamen fuit opinio dicta Collegia fuisse Mendicantia, eo quia licet habeant bona, reuera tamen non habent dominium vigore Constitutionum Societatis, ita concludit *Mandos. in tractat. de priuilegis ad instar. gloss.* 11. *numero* 26. *Emanuel Rodriquez. tom. primo, quæstion. regularium, quæst. secunda, artic.* 9. quod latius probat *Suarez. de Religione. tomo* 4. *lib.* 4. *capit.* 7. *sub num.* 15. vbi dicit, quod ad effectum mendicitatis sufficit promptitudo ad mendicandum, si necessitas id exigat, prout tali casu tenentur Collegia vigore Constitutionum Societatis. *par.* 4. *cap.* 2. quod etiam idem *Suarez* comprobat alia ratione *dicto lib.* 4. *cap.* 11. nempe, quia cum Collegia sint membra Societatis, vt firmat *Gabriel.* communiter receptus. *cons.* 28. *lib. primo* per totum, & idem *Suarez* probat pluribus in locis etiam exaduerso allegatis, hoc sufficit, ut dicantur Mendicantia vigore Constitutionum eiusdem Religionis, ex quo membra Societatis, quæ verè mendicans est, vt etiam pars aduersa fatetur, non debent diuerso iure censeri & quod pars sit eiusdem naturæ, & qualitatis cuius est totum ex pluribus iuribus firmat *Gregor. decis.* 135. *num.* 21. & in puncto ex alijs iuribus, & rationibus idem *Gabr. dicto cons.* 28. *numer.* 6. *&* 9. *lib.* 1. vbi etiam astruit, quod mendicitati, quæ habet aliquam latitudinem non omnino repugnat aliquid habere, præsertim dum id habet, prout in casu nostro, non primò, & principaliter a se sed dependenter ab alio, cum omnimoda illorum bonorum gubernatio, & super intendentia, tam ex Constitutionibus Religionis, quam ex Bullis Pontificijs sit pęnes Societatem, vel eius Generalem Præpositum. *Suarez. dicto cap.* 11. *sub num.* 7.

Quod meo iudicio satis etiam patet, cum mendicitas nihil aliud in effectu esse videatur, quam arctissima paupertas, vt notant Doctores, *in cap. vnico.* §. *confirmatas de Religiosis. domibus in* 6. & tamen non tollitur arctissima, siuè altissima paupertas, si quis habet

aliquid in commune ... victus necessitatem, vt ex Constitutionibus Apostolicis, docet *Sanctus Antoninus tit.* 12. *de errore Fraticellorum circa patrimonium Christi, & Apostolorum. cap.* 4. §. 3. *vers. habere aliquid in commune non derogat altissimæ paupertati, &* §. 13. *artic.* 6. vbi reddit rationem, quia sine pertinentibus ad necessitatem corporalem nulla perfectio spiritualis consistere potest, vt proindè paria esse videantur, quod pauper ostiatim vitæ postulet alimenta, & quòd alius præueniendo pauperem deferat illi alimenta, vndè. *Bart. infert in l. prima, § primo ff. de collegijs illicitis*, quod sicuti pauperibus militibus conceditur facere Collegium causa procurandi ea, vnde debent viuere, ità alij debent Collegio prouidere de victu ne abstrahantur ab eorum instituto, cum Collegium sit ad instar corporis, quod nascitur cum dentibus, & statim quærit cibum, sunt verba eiusdem. *Bartoli cons.* 58. *circa medium. lib.* 2.

Et quod reuera Collegia non habeant dominium bonorum cum quibus sunt fundata, immò, nec illorum liberam administrationem, patet, dum vigore Constitutionum Societatis nullos possunt inire contractus super bonis Collegialibus, & sunt incapacia hæreditatum, cum obligatione ad opera spiritualia, vt aduertit idem *Suarez dicto cap.* 11. *num.* 7. *in finem, & num.* 9. *&* 10. vbi & si adduxerit exemplum exaduerso ponderatum, quod sub cura Societatis professę existunt Collegia tanquam pupillus sub tutore, hoc tamen exemplum non debet sumi ad effectum docendi, quod liberum dominium eorum bonorum sit pœnes Collegia, quia sibi met repugnaret, dum ibi, & alibi docuit contrarium, sed ad effectum probandi, quod Collegia carent omnimoda administratione bonorum, super quo articulo sufficit exemplum adaptari, licet non adaptetur in reliquis. *Surd. cons.* 308. *num.* 10 *Gratian. disceptat. Forens. cap.* 563. *num.* 74. *& cap.* 740. *num.* 19. *Addit. ad par. quintam Rotæ recent. decis.* 438. *num.* 46.

Ex quibus, & alijs rationibus ponderatis à Mandosio, & Rodriquez locis supra allegatis, non videtur posse negari, quin hæc opinio esset verior, & receptior etiam ante Bullam Pij V. cum etiam dicta Collegia sint mendicare coacta, vbi necessitas id exigat, iuxta supra deducta.

Nihilominus si capiamus aliud tempus, nempè post Bullam Pij V. emanatam de anno 1572. res videtur carere omni prorsus difficultate, cum dictus Pontifex Sanctæ memoriæ ne dum declarauerit motu proprio, Præpositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi

modi verè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore, sed etiam in Domibus, & Collegijs id nuncupatim expresserit.

Ex quibus verbis dictæ Bullę tam claris non videtur amplius in dubium posse reuocari, quin dicta Collegia sint verè mendicantia, vt dissertis verbis dicit *Sanchez super decalog. lib. 6. cap. 7. nu.* 117. *in finem. vers. quare iam non videtur posse id in dubium reuocari &c.*

Neque dicatur dictum Pontificem fecisse dictam Bullam ad effectum declarandi dumtaxat Societatem ipsam esse verè mendicantem, non obstante quod habeat Collegia secum adiuncta cum redditibus annuis, quia si eius verba benè perpendantur, satis clare patet sub eadem oratione comprahendere Societatem, illiusque domus, & Collegia, vndè intrat regula. *l. iam hoc iure. ff. de vulgari, & pupillari*, quod eadem determinatio plura respiciens determinabilia æqualiter determinat, præsertim dum regitur ab eodem verbo, & copula, &, Rota in recentior. *decis.* 407. *sub numer.* 8. *par.* 3. *& decis.* 268. *sub num.* 3. *par.* 4.

Quod si dictus Pontifex non declarasset Collegia prædicta esse verè Mendicantia, cum omnes færè Doctores admittant illa esse membra Societatis saltem heterogenea formantia vnum corpus ad instar organici, vtique non sustulisset ambiguitatem, siuè difficultatem, quæ dabat ansam dubitandi, an verè Societas esset Mendicans, dum aliqua eius membra non essent talia, cum semper posset dubitari, quod corpus ipsum aliquo modo participaret naturam membrorum, ex adductis per *Euerard.* in loco à toto ad partem sub *num.* 9. vbi plura affert exempla, & non est dicendum, quod Papa in tollenda dicta ambiguitate fuerit deceptus in iure. *capitulo primo de Constitution. in* 6. *Gonzal. super regula octaua de mensibus. & alternatiuis.* §. *quarto proemial. numero* 85. *Rota in recentior. decision.* 325. *numero* 16. *par.* 5 *Caualer. decis.* 612. *num.* 52.

Vndè non obstant exempla ex aduerso adducta de patronatu, & legitimatione, in quibus per clausulam verè, & non fictè non probatur patronatus; ex vera dotatione, & legitimitas ex vero matrimonio, quia hoc ibi procedit, quia Papa non potest facere quod aliquod sit verè tale, si est per solam fictionem, at in casu nostro, quæ dicatur vera mendicitas, cum habeat in se latitudinem in genere paupertatis, vt dixi, & talis declaratio sit de iure merè positiuo, non potest circa dictam declarationem dubitari de Papæ potestate. *Gemin. cons.* 8. *num.* 6. *&* 7. *Abbas. cons.* 84. *nu.* 3. *& seqq. lib.* 1. *Lotter. de re beneficiar. lib.* 2. *quæst.* 52. *num.* 23. *Rota in recentior. decis.* 36. *numer.* 62. *& seqq par.* 5. *Dominus Gratiosus*

Vbertus in suo tractat. de citatione cap.8. sub num. 33. vbi etiam respondet ad obiectum legitimitatis filiorum, nempè quod sunt verè legitimi prout ex tunc dum Papa dispensat in radice matrimonij.

Præterea cum Collegia non significent nudam parietis constructionem, sed repræsentent vnionem plurium personarum ad vnum finem in vno loco habitantium, iuxta notata *in l.*4. C. *de Collegijs illicitis. gloss. in l. sicut.* §. *in decurionibus. ff. quod cuiusque vniuers. nomin. Butrius in cap. dilecta num.* 16. de excessibus Prælatorum, & dictus Pontifex Pius V. declarauerit in dicta sua Bulla Scholares Societatis habitantes in dictis Collegijs esse verè mendicantes, vt aduertit *Suarez dicto tom.*4. *de Religione. cap.*4. *de votis simplicibus. sub num.* 11. *versic. Pius V.* antea declarauerat, merito ex isto etiam capite non videtur posse negari, quin Collegia sint verè mendicantia, prout considerat *Nigronus in explicatione tituli partis tertiæ Societatis Iesu. sub nu.*7. vbi etiam subdit hanc declarationem à Pio V. factam circa dictam Mendicitatem Societatis commemorari, & laudari à Gregorio XIII. in altera eius bulla emanatam de anno 1584; vndè eo fortius vrget. *Soccin. senior. cons.* 266. *sub numer.*30. *vers. & sic bina concessio lib.*2.

Quin immò supposito quod Collegia sint membra Societatis, eo ipso quod admittitur Societatem esse verè mendicantem, videatur id quoque admitti in Collegijs, sicuti ex quo Capitulum facit vnum corpus cum Episcopo per hæc verba, solus Episcopus faciat, non excluditur Capitulum. *Bellamer. decis.* 69. *numer.* 2. *Lotter. de re Beneficiaria. lib.* 2. *quæst* 27. *num.* 14. *refert. alios, & decisiones Rotales.*

Addo etiam exabundanti, quod Collegijs sufficeret sola communicatio priuilegiorum Mendicantium, quia cum in dicta Bulla Pij V. dicatur Collegia debere gaudere omnibus priuilegijs competentibus cuicumque Ordini Mendicantium cum verbis amplissimis, & & effrenatis, non applicantur huic casui decisiones ex aduerso allegatæ in Valentina decimarum *coram Lancellotto pænes Marches. par.* 1. *fol.*630. cum alijs concordantibus, firmantes non suffragari communicationem priuilegiorum Religionum Mendicantium ad effectum decimas non soluendi, cum tali casu requiratur priuilegium specificum cum derogatione *cap. nuper.* de decimis, quandoquidem dictæ decisiones loquuntur vbi communicatio priuilegiorum est petenda ab alia Religione, & sic à corpore totaliter diuerso, non autem quando id petit membrum ab eodem suo capite,

vt

vt in casu nostro ab eademmet Societate, quæ cum sit verè mendicans, sufficit quod Collegia mutuentur hoc priuilegium ab ipsa, vndè cessat quod Papa difficilius concessisset exemptionem à decimis, ex regula supra firmata, cum membra sequantur naturam capitis, & corporis, & proindè non debent diuerso iure censeri, ex supra allegatis, & in istis præcisis terminis exemptionis à decimis arguit, & tenet in puncto *Mandos. in tractat. de priuilegijs ad instar. quæst. 4. num. 8.*

Nec tali casu fuit necessaria derogatio *cap. nuper de decimis*, tum quia illud est restrictum ad bona donata, vel empta; & sic non comprehendat bona data pro fundatione Collegiorum propter rationis disparitatem: iuxta notata in *cap. si tributum. 11. quæst. 1. & cap. secundum, 23. quæst. 8. Baldus in l. omnes. num. 12. C. de Sacrosanct. Eccles. Turrecremat. in dicto cap. si tributum. 11. quæst. prima & in summa de eccles. lib. 1. cap. 98. in responsione ad settimum argumentū.* Niger in repetione extrauagan. vnica. *num. 242. de vita, & honest. cleric.* Rota *in recentior. decis. 339. num. 40. par. 6. & decis. 159. nu. 1. par. 7.*

Tum etiam, quia in dictis litteris Pij V. derogatur dispositioni Concilij generalis Bonifatij Octaui de duobus dietis, & alijs quibuscunq: constitutionibus Apostolicis, quo casu censetur etiam derogatum cuicunque dispositioni Conciliari. *Maresc. variarum resolut. lib. 2. cap. 38. num. 41. Gratian. cap. 940. num. 15. & 16. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 6. num. 120.* Garzias *de beneficijs: par. 5. cap. 8. num. 87. Rot. in recentior. decis. 179. num. 6. & decis. 687. num. 24. parte secunda,* Caualer. *decis. 601. num. 3. Addent. ad Buratt. decis. 463. num. 5. Barbosa ad Concil. Tridentinum sess. 25. de reformat. cap. 21. numero primo.*

Rursus dum ista Collegia Societatis allegant pro se consuetudinem immemorabilem non soluendi decimas censentur etiam allegare priuilegium cum expressa derogatione dicti *cap. nuper*, cum immemorabilis contineat quodcunque priuilegium Apostolicum alleganti magis ~~pro fructuum~~. *cap. super quibusdam. §. præterea.* vbi, *gloss. in verbo: non extat. de verborum signif.* Felin. *in cap. causam. nu. 2. & seq. de præscription. Dec. cons. 586. num. 2.* Gabriel. *de præscription. conclus. 1. num. 1. & 44.* Rota *diuers. decis. 254. in fine par. 3. & decis. 642. num. 4. par. 4. & in recent. decis. 614. num. 1. par. 2. & dec. 154. nu. 4. & seq. par. 5. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 24. nu. 223. & seq.* ponderando etiam quod dum Societas habet communicatam consuetudinem aliorum Mendicantium non soluendi decimas non in-

trat

derogatio. *c. nuper* cum versemur in lege non scripta qualis est dicta consuetudo iuxta notata a DD. in Rubricis de consuetudine.

Quod eo magis videtur dicendum, cum de tempore, quo Pius V cõcessit dictam communicationem cum dictis verbis amplissimis, vigerent etiam amplissima priuilegia Pauli Tertij & Iulij Tertij eximentia Societatem à quibusuis decimis, quæ etiam ampliauit Gregorij XIII. expresse derogando *dicto cap. nuper*. Vndè patet verisimilem mentem dicti Pontificis Pij V. fuisse parificandi Societatem etiam in hoc priuilegio Mendicantium nullas decimas soluendi de bonis, quæ proprijs manibus, & per proprios colonos excolunt, cum hoc non esset quid nouum, sed solitum inter mendicantes vigore immemorabilis articulatæ, & sic non versamur in re, quæ non sit solita concedi vel sine magna difficultate, quæ est ratio, in qua fundantur decisiones in contrarium allegatæ, sed intrat ratio, si id de quo magis, ergo, & id de quo minus. *l. multo magis. C. de sacrosanct. eccles.* & sic ex quocunque capite non videtur deficere mẽdicitas articulata in istis Collegijs.

Quare &c.

Franciscus Ferrettus Aduoc.

R. P. D.

CORRADO

Hiſpaleñ Decimarum.

PRO

Veñ Collegijs Societatis IESV.

CONTRA

Capitula.

4

Iuris

D. Ferretti.

ROMAE,
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ. 1646.

Superiorum permiſſu.

de Decimis —